

NVMMI VOTIVI
CURI IN COMITIIS RATISBO-
nensibus: Rudolpho Secundo in Regem Rom.
electo, coronato : Anno Chri-
sti 1575.



Posteaquam Maximilianus II. Imperator 12. Octob. Anni 1575. animam, unde erat, beatus beatis reddidisset, Comitia Imperij Ratisbonam, creandi novi Romanorum Regis causâ, indicta & celebrata sunt: quibus interfuerunt septem viri, & frequens Principum & Legatorum senatus. In ijs Rudolphus Maximiliani II. Cæsaris natu grandior filius, à Rudolpho Hapsburgensi, qui primus Imperatorij fastigij decus meritis suis in familiam intulerat, Decimus, in Regem Romanorum electus est 27. Octob. insignia vero tantæ dignitatis more majorum, magno Principum & omnium ordinum consensu applausuque assumpsit cal. Novemb. Ætatis 24. Vota Princeps optimus frequentia tunc audiverat (quæ & successu temporis pondus suum habuere) Deus ille, cuius vi Principes regnant, diu terris illum commodet: faciat, ut, quam diu mortalis erit, nihil ex domo sua mortale sentiat: generi humano diu agro afflictoque medeatur: Germaniam magis magisque pacet, & patristriumphos ducat, & novos. *Senario pilarum seu calculorum numero, unanimum sex Electorum in suffragiis consensum denotat: septima enim pila ipsi, patre adhuc vivo contigerat.*

Author.